



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Homo Christianus In Sua Lege Institutus. Sive Discursus Morales

Quibus Totum Hominis Christiani Officium Explicatur; Quídkue is fugere,
quid agere debeat, quàm exactissimè traditur

Segneri, Paolo

Augustæ Vindelicorum, Anno M.DCCXII.

VD18 90637038

Discursus XVII. De Eleemoysyna. Expositione Præcepti Eleemoysynæ id
agitur inprimis, ut Christiani inducantur ad subveniendum egentibus,
quantum tenentur; & proponendo ejus præmium, ad subveniendum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51633)

DISCURSUS XVII.

De Eleemosyna.

I. **G**eminum tributum mellis pendunt favi, unum quidem, quod sponte ab alveari & ex abundantia destillat, alterum vero necessitate reddunt, cum exprimuntur. Gemini subsidij, quod Christiana charitas egenibus subministrat, hic mihi typus quidam est. Unum ex commiserationis affectu sponte elargitur indigentibus, alterum rigoroso precepto compulsa suppeditat. Primas has Eleemosynae species egenis debetis, Auditores; unam, quia DEUS eam exigit dato consilio, quo vos in egenos esse cupit liberales; alteram, quam Deus non consilio tantum, sed precepto exigit, ac mandato. Et quia utrumque hoc subsidium a vobis impetrare percipio, idcirco, ut utrumque persuadeam, precepti primum obligantis vel ac pondere contendam, necessitatem vobis incumbere, quam ad faciendam eleemosynam obstringimini; deinde praemij propositione utilitates exponam, quae in Eleemosynarios copiose redundant. Principio quidem arbitramini, dicturum me hodie pro egenis & commodis illorum; multum autem fallimini; nam cum attentas mihi aures praebueritis, perspicietis demum, non tam in mendicorum subsidium, quam Divitum lucrum ac emo-

lumenta de Eleemosyna me disse-
ruisse.

I.

II. Ex ignorantibus maxime noxijs, quae Christianam Rempubliam pervadunt, non est minima, quam creditur; Eleemosynam opus esse consiliantium, hoc est, supererogatorium, nec unquam preceptum & ad salutem necessarium, Ex quam ignorantia fit, ut pauperuli ubique jaceant, & eorum plagae sine balsamo relinquuntur; cum Divites sibi culpae non ducant, hac in parte fuisse crudeles. Scire igitur vos velim, Eleemosynam tam Legis naturalis, quam scriptae mandato praecipitur, preceptumque; hoc Legi Evangelicae ex omni parte consonum esse. Certum omnino est, omnes haec tres Leges (quae demum in unam coalescunt) unanimi consensu amorem proximi imperare; unde etiam illa opera praecipunt (quae est illatio S. Thomae) sine quibus verus quidam amor nequit subsistere, talis scilicet, cui non sufficit proximo bene velle, sed etiam facere. Unde S. Joannes ait: *Non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*: non enim sterillis quaedam arbor est charitas, quae tota in apparentis tantum beneficentiae folia ac fraudes effundatur. Fructuosa est ac fecunda, vitae arbor est, quae nullo anni tempore exarescit; & ut talis semper ed inclinatur, ut quis omni-

um

um aliorum necessitates pro suis habeat, iisque sublevandis se totum impendat.

III. Totum hoc per se notum erat humanæ menti; quia tamen tam pulchram ac insignem legem Amor proprius infuscârat, Deus in montem Sinai se demisit, legemque hanc coloribus longè vivacioribus descripturus, suis illis tabulis tam præceptum charitatis, quam, quod consequens est, Eleemosynæ incidit: & Idcirco populo suo edixit: *Præcipio tibi, ut aperiās manum fratris tuo egeno & pauperi, qui tecum versatur in terrâ. Omnino indigens & mendicus non erit inter vos.*

IV. Denique quia Lex hæc etiam Scripta non adeò plenè vulgo intelligebatur, in propriâ personâ Divinissimus Legislator de caelo descendit, ac protestatus est, præceptum charitatis omnia alia præcepta sua transcendere, & summè propriè præceptum esse, scilicet super omnia alia magis conspicuum, & æstimatum: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Divitibus quibusvis legem Eleemosynæ promulgavit: *Quod superest, date Eleemosynam.* Cujus legis prævaricatores in historiâ Epulonis gravissimis Inferni pœnis addixit, & hoc ipso, dum hanc pœctoris duritiem castigavit, legem hanc confirmavit: & in parabolâ Avari illius, qui dum opes immentum cumulavit, opes & vitam perdidit: in novissimâ denique sententiâ, quam contra illos feret, qui pessima horum exempla imitari non verebuntur: *Esurivi enim, & non destitis mihi*

manducare; sitivi, & non de distis mihi bibere: quapropter discedite à me, maledicti, in ignem æternum.

V. Indubitatum igitur est, Lege tam naturali, quam scriptâ, ac etiam Evangelicâ Divites obstringi ad auxilium pauperibus præstandum. Nec aliter fieri poterat, posito quòd Deus suam nobis Providentiam, eo quo decet modo, manifestare voluerit. Præcipuum agriculturæ artificium *in eo maxime consistit, ut ager siccus humectetur, & humidus exsiccetur.* Simili, longè tamen diviniore artificio, Divina Providentiæ suum moderatur imperium, dum præcipit, ut, qui bene habent, malè habentibus auxilio sint, ut illud Apostoli verificetur: *Qui multum, non abundavit, & qui modicum, non minoravit.* Quæruntonnulli rudes, quam ob causam Deus non disposuerit, ut omnes omnino homines æquâ quâsi divisione locupletes sint? Quæstio hæc ferè eadem est cum hac, quare Organopæus non omnes ejusdem organi fistulas fecerit æquales, sed alias subtiles, alias densas, horridonas alias, alias dulcisonas, illam stridulam, sonoram illam; hanc, quæ copiosum aërem attrahat, illam, quæ modicum. Summâ in hoc arte usus est artifex, cum ex ipsâ hac inæqualitate harmonia concinneretur, quæ ex fistularum æqualitate nunquam obtineretur. Pari ratione decrevit Deus, ut in terris alij opulenti essent, alij pauperes, utpote cum ex hinc harmonia verè mirabilis resulcet, quæ cum haberet; cum pauper diviti inservit, dives contra pauperem sustentat, & sic ille exercitio pati-

patientia, iste exercitio misericordiae, ceu unitis vocibus majorem Deo gloriam reddunt. *Dives & pauper obviaverunt sibi: utriusque operator est Dominus.* Deus utramque fecit, & Paupertatem & Abundantiam, ut reciproco communicationis nexu omnium corda colligaret. Et hinc pauperum non est oblitus, utpote quos ita divitibus junxit, ut hi necessitatem quandam & illorum indigentiam habeant; imò hac ratione divites constituit, qui Pauperum Conservatores essent ac Curatores. Sicut enim familiae Caput, cum Majoratum erigit, non intendit filio natu majori omnia bona, quæ pro se & solus habeat, sed potius, ut splendorem familiae conserveat, fratribus autem natu minoribus de necessariis provideat. Sic Deus, dum Divites ceu primogenitos tractat, non intendit, ut pro suo omnia arbitrio prodiganr, sed ut coram hominibus ipsi quidem gradus ac dignitatis suæ decorum teneant, fratrum tamen minorum, quorum nomine pauperes veniunt, non obliviscantur. Quod si quandoque executioni non mandatur, sine dubio culpa penes Deum non est. An forsan in Xenodochij præfectum culpam conjiciens, si duos infirmos domo lecto- que bene composito locat, alter autem horum stragula omnia Inhumanè ad se pertrahat, & socium malè contra frigus munitum relinquit? potius in illius crudelitatem invehemur, qui suæ tantùm curiculæ studiosus alterum negligit; partem suam sibi æquè ac alienam arrogat, & sic proximum

R. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I,

exspoliat, ac penitus nudum relinquit.

VI. Quin, hæc ipsa Eleemosynæ Lex non solum Dei Providentiam commonstrat, sed Dominium etiam supremum. Deus enim noster tam magnus est Dominus, ut etiam rerum nobis donatarum Dominium non amittat. *Meum est argentum, meum est aurum:* ait per Prophetam, *Meæ sunt universi Mundi divitiæ, & illi, qui opes possident, non ira earum sunt domini, quin à me debeant, imò dispensatores sunt verius, ac œconomi, qui mea in iis distribuendis iustè observare debeant.* Quapropter Eleemosynæ elargitio, Divini quædam Dominij veneratio est: *Honora Dominum de tuâ substantiâ,* hac enim in pauperes erogata Dominium supremum agnoscitur; siquidem per manus pauperum tale ei tributum penditur, quale ipse imposuit.

VII. Unde consequens est, omnes illos divites avaros atque acerbos non unam tantum, sed plures simul injustitias committere, easque omnino gravissimas. Inprimis in Dei Providentiam injuriæ sunt, quam pauperum querimoniis exponunt, ceu partium studiosam, quæque egenis necessariam vitæ sustentationem subtrahat; opulentis contra superabundantem concedat. Iniqui etiam sunt in supremum Dei Dominium, quod Deus semper retinet, tanquam summus rerum omnium Monarcha, quando de bonis pro suo arbitrio & libidine disponunt, haud aliter, ac si Dominium absolutum & nullâ ex parte ligatum

Gg

habe-

haberen. Iplis denique etiam Pau-
peribus vim inferuat, qui, cum Lege
naturali habeant ex rebus conditis a-
lendi & sustentandi se jus, à Divitis
compelluntur merâ inopiâ interire,
utpote à quibus etiam, quæ supersunt
reliquæ, denegantur; id quod Sacris
Paginis ansam dedit dicendi, idem
esse, Eleemosynam pauperi negare,
ac illum spoliare; superflua non con-

Ecl. 4.1. cedere, ac debito illum defraudare.

Job. 21.6. Fili, Eleemosynam pauperis non de-

Job 24.9. fraudes. Et alibi. Nudos spoliasti

Job. 22.7. vestibus. Fulgur pauperum spolia-

verunt. Esurienti subtraxisti panem.

Omissis aliis Scripturæ locis, quæ hic

magno numero afferre possem, dicere

sufficiat cum S. Chrysolitomo: *non so-*

lum rapere aliena, verum etiam sua non

impertiri ceteris, rapere est, & fraudatio,

& spoliatio. Et quamvis hac Veritate

omnes perstringantur, multò tamen

maximè Christiani, quibus Amabilis

Dei Providentia, quâ omnes fovet,

Dominiumque in omnes divitias & o-

pes est præ aliis notum. Providentia

quidem in homines, ut eò faciliùs ca-

sus sinistros, & rerum dispendia tole-

rarent, efficere deberet; Dominium

verò in opes; ut intelligant, quòd si

Evangelio suo voluntariam paupertate-

tem suavit, minimè egerit inlipienter;

imò id egit, tanto antè omnes certos

reddendo de curâ providendi omni-

bus quocunque numero, qui verbis

ejus excitati spontaneam hanc inopi-

am amplecterentur.

VIII. Quæ hætenus dicta sunt, in

dubium revocari non possunt, cum

Eleemosynæ præceptum tam sit ma-

nifestum, ut, qui pertinaciter illud ne-
garet, hæreticum se præderet. Solùm
restat, ut determinemus, tanquam
rem difficultate non vacuum, quo
tempore hoc præceptum obliget, &
quando ad culpam gravem pertinga-
tur? Quod ut determinemus, obser-
vare oportet cum S. Thomâ, quòd s. Thom.
Eleemosynæ obligatio ab uno ex duo- 21. q. 3.
bus his capitibus dependeat, scilicet 47. 1.
aut ab abundantia divitis, aut à ne-
cessitate mendicantis.

IX. Si ad abundantiam oculos con-
vertamus, quæ ex parte divitis est, ani-
madvertemus, duabus ei modis diviti-
as abundantes esse posse; nimirum spe-
ctando vel illius naturam, vel condi-
tionem. Spectando naturam illæ sunt
superflua, sine quibus & suam & suo-
rum vitam sustentare commodè po-
test. Spectando statum & conditio-
nem, illæ redundant, sine quibus non
vita tantum prorogari, sed gradus eti-
am honoris & dignitatis, quo illum
Deus posuit, potest sustineri. Explico
me. Vir Illustris absq; certo servorum
numero vivere quidem potest, sed vi-
vere non potest, sicut ista vitæ condi-
tio exigit: sic famulorum iste nume-
rus ad vivendum tantum, abundat;
ad vivendum tamen, ut Personæ di-
gnitas postulat, non est superflua.
Ubi verò servorum numerus ita auctus
fuerit, ut ne Princeps quidem mayo-
rem desideret, non communem ho-
minis tantum, sed & viri Illustris con-
ditionem excedet: hominis quidem,
cum sine illis commodè possit vivere;
Viri Illustris autem, quia sine his tueri
ille dignitatem suam potest.

X. Pari

Laym. tr. 3. 6. 6. X. Pari ratione, ne rem intricemus, in casu nostro distinguere possumus duplicem ex parte pauperis necessitatem. Prior extrema vocatur; & est, quando ea desunt, sine quibus vita non ducitur; unde alienâ destitutus ope, aut moritur, aut periculum est, ne moriatur. Altera gravis appellatur, quando Pauper, si ope careat aliorum, vitam ægerimè producit, aut illâ, quam tenuerat, vitæ conditione excidit.

XI. Hâc notitiâ suppositâ, scire vos velim, quòd Doctores concordî assensu affirmant; Divites, cùm egeni in extremam illam egestatem incidunt, teneri ad iis succurrendam, largiendo non tantùm, quæ gradui ac dignitati superflua sunt, sed & ea, quæ ad vitam quomodocunque ducendam redundant. Etenim ordinata charitas exigit, ut vitam proximi pluris faciamus, quam dignitatem nostram. Unde, etiam cùm aliquam partem pompæ, utur honestæ, dimittere oporteret, quòd vita proximi conservetur, dimitti omnino deberet.

XII. Quod alteram necessitatis, quam gravem diximus, speciem concernit, fermè non obligantur divites eleemosynam elargiri, nisi de illo, quod etiam statui ipsorum redundat, aut saltem tam parùm pro eodem conservando necessarium est, ut sine notabili statûs sui præjudicio illud erogare valeant; & in hoc saltem sensu intelligi Scripturæ possunt, quæ in locis quàm plurimis in opulentos invehuntur, qui erga pauperes nimium duri sunt ac tenaces, eòsque ceu omnis

commiserationis ac pietatis oblitos arguunt: *Omnes avaritia student: Omnes avaritiam sequuntur. Unusquisque ad avaritiam suam declinavit.* Quæ ista omnia non possunt intelligi de extremâ necessitate, cùm hæc non nisi rarissimè occurrat; sumi itaque debent pro casu frequentiore, tali scilicet, in quo pauper, licet vitæ periculum non subeat, dies tamen suos inter mille angustias, solâ divitum avaritiâ in eas dejectus, exigit.

XIII. Dixi saltem, cùm non pauci Doctorum censeant, quòd Divites de illis, quæ statui redundant, non tantùm Pauperibus, qui extremâ, aut gravi necessitate laborant, eleemosynam suppeditare, sed iis etiam, qui communi (quâ ferè laborant omnes, qui stipem ostiatim emendant) teneantur. Et verò si consideremus, quæ hac in parte SS. Patres etiam maximæ & primæ Auctoritatis, scripto reliquerunt, dicere oportet, quòd adhuc largè nimium ac laxè præceptum Eleemosynæ interpretemur, nisi illud ad communes etiam misellorum necessitates extendamus. Fatigare vos, si singulorum sententias in medium proferrem, omnium loco sufficiat Magnus Augustinus: *Quidquid ait: excepto vitæ & vestituræ rationabili superfluo, non luxuriose sicut reservetur, sed in thesauro celesti per Eleemosynam reponatur. Quod si non fecerimus, res alienas invasimus.* Id quod non Augustinus tantùm, sed si non iisdem verbis, eodem certè sensu etiam S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Gregorius, S. Basilius, S. Joannes Chrysostomus, S. Gaudentius, & omnes, aut quasi

omnes Patres antiqui asserunt, qui, ac necessitate publica parata sit, dum
 s. Chryso. urur doctissimi, capere nunquam po-
 h. 34. ad tuerunt, quomodo in tantâ fame,
 s. papa quâ pauperes opprimuntur, dives
 Gaud. de quisquam sibi persuadere possit,
 Vilico suum esse, quod ipsi redundat etiam
 Iniq. statûs conditione spectatâ. Imò in SS.
 Paginis etiam à Christo Eleemolyna
 justitiæ nomine appellatur: *Attendite,*
 Vide Mal *ne justitiam vestram faciatis coram ho-*
 don. in *minibus.* Etenim licet illa propriè
 Matth. 6. censeatur inter actus charitatis, nihil-
 ominus tantam cum actibus justitiæ
 affinitatem habet, ut facillimè in mo-
 do communi loquendi eodem cum
 justitiæ operibus nomine compellatur.

XIV. Quidquid autem de hoc sit, ac necessitate publica parata sit, dum
 de quo modò non laboro, certum sal-
 tem est, multos Opulentos in altissimâ
 vivere ignorantia, aut incuriâ hujusce
 sui debiti, & quasi pensionis, quæ in
 pauperum favorem eorum redditibus
 est annexa: cum enim absolutos rerû
 omnium, quas possident, se credant
 Dominos, non meminerunt, se à Deo
 pauperum patronos, & bonorum
 tantum administratores esse constitu-
 tos, juxta illud: *Unus quisque sicut ac-*
 1. Petr. *cepit gratiam in alterutrum illam ad-*
 4. 10. *ministrantes, sicut boni dispensatores*
multiformis gratiæ Dei. Præcipuè au-
 tem, cum annonæ caritas ingruit, ista
 se cæcitas prodit, cujus tempore cum
 divites præquàm aliàs manum aperire,
 ac indigentibus succurrere deberent,
 longè magis quàm unquam stringunt,
 ac pauperes deglubunt. Videreli-
 cebit, quòd maxima divitiarum pars,
 quas nonnulli accumulunt, ex fame

ac necessitate publica parata sit, dum
 frumenti pretium immensum quan-
 tum augent, sicque pro re exigui pre-
 tij modicam illam summam capita-
 lem, quæ pauperibus residua erat, ad
 se trahunt, agellum inquam illum ce-
 nuem, casam miserabilem, & paupe-
 ris suppellectilis reliquias, Observa-
 tum est, quòd sæpenumero caritati
 annonæ pestis succedat, non pauperi-
 bus solùm, sed & bene habentibus in-
 festâ. Causam, quæ pauperes ad tu-
 mulum abripit, facile est invenire,
 si miseriæ, ærumnæ, ac noxiæ, quibus
 passi sunt, cibi in memoriam revocen-
 tur: Opulentorum verò mortis causas
 non tam pronû est divinare, nisi auda-
 cius aliquanto Divinæ Providentiæ
 arcana rimati, è cælo potiùs illam,
 quàm terrâ malimus accertere. Dico
 igitur, quòd si frequenter post tolera-
 tam famem etiam divites moriantur,
 itque omnium præcipui, atque ad eò
 ipsa familiarum capita, (quæ tamen
 plus quàm alij sibi attendebant) rati-
 onem aliunde petere non debemus,
 quam ex eo, quòd hi officio suo de-
 fuerint, quo communi necessitati ho-
 minum cum paupertate luctantium
 provideretenebantur. Siquidem hi-
 sce famis publicæ temporibus Ele-
 emolynæ præceptum longè erat mani-
 festius. Faciebat quidem apud non-
 nullos conscientia officium suum, at-
 que absque intermissione clamabat:
Fac cum proximo tuo, quod tibi in si-
mili necessitate constituto fieri velles.
 Nec poterat Avaritia solitâ suâ excu-
 satione se palliare: non posse jam am-
 pliùs veros pauperes à fictis discerni.
 Et

Etenim famis tempore omnia compita, ac domus plena suat, nec multum indagare necesse est calamitosos; ipsa sese luridâ facie, & squalore produnt, recedentes oculi, pendula cutis, halitus ipse languidus & difficilis summam produnt necessitatem. Quo modo his in eventibus dici potest, Opulentos amare proximum suum sicut se ipsos, dum suorum solummodo commodorum studiosi, se suâque emolumenta procurant, proximi verò minorem, quam canis aut venaticus, aut domesticus curam gerunt? *Qui habuerit substantiam hujus Mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauseri viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo?* ait S. Joannes.

1. Joan.
3. 17.

Et si Deum non amat, quomodo sperabit, eodem in Cælo frui, possidere beatitudinis gaudia, gloriam ac regnum jure hæreditario adire? Non est possibile; habet enim pro corde saxum; saxum, in quo, quaqua se confertat, insculptam secum sententiam circumfert sempiternæ damnationis suæ: *Cor durum malè habebit in novissimo.*

Eclii.
3. 17.

II.

XV. Verùm illa eleemosyna, quæ vi præcepti extorquetur, oleo similis est, quod torculari exprimitur. Plus exigit à clementiâ & misericordiâ vestrâ, succû scilicet illi virginem, qui sponte sua permanat atque ita seposito interrim necessitatis momento, quod urgere vos potest, spe præmii benignitatem vestram animabo. Deus igitur, postquam charitatem præcepto imperavit, etiam ad consilium, quo eam com-

mendarer, descendit, ita quidem, ut in suo Evangelio consilium hoc profundamento poluerit, sublimis, arduæ ac admirabilis illius perfectionis, cujus afferendæ gratiâ è cælo exiit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hujusce consilii executionem familiarem vobis redditurus, propositum à Deo præmii exponam, quod genuinos manet eleemolynarios. Campi, qui in doflumine irrigantur, ita fertiles evadunt, ut uno eodémque anno geminam messem exhibeant. Paucis quoque Nilo adjacentia ea valent ubertate, ut armenta geminâ pariter fertatione fecunda reddantur. Pro nobis Christianis autem terræ absque comparatione feracissimæ non aliæ sunt, quam manus Pauperum, in quibus substantias nostras sacra voluntatæ nos seminare, certâ cum pollicitatione, fore, ut fructum omnino centuplicatum referamus; messe duplici. Quâ illâ? Temporalis & æternâ. In quem sensum S. Thomas illa Apostoli verba explicat: *Pietas ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futura: ita ut voce illâ: Pietas, inonomasticè quasi distributionem eleemosynæ intelligat, & præceptum Legis naturalis, cujus supra meminimus, ad quartum Decalogi præceptum reducat, cui uni Deus ore suo pollicetur, promissionem vitæ, quæ nunc est, & futura.*

Diod. Sicul. verè
ant. l. 3.
Arist. l.
7. hist.
c. 4.

S. Thom.
in hunc
locum.

S. Thom.
2. 2. q. 32.
ar. 7. ad

XVI. Ut igitur à primâ messe, bonorum scilicet temporalium initium faciamus, primò in oculos nostros incurrit frequens illa ac miraculosa

multiplicatio, quâ res verorum eleemosynariorum augentur: qui, cum se matres quasi pauperum faciant, meritò semper abundantissimo lacte eorum turgent ubera, quo eos alant ac sustentent. Quæ ratio est, quare Sacra Scriptura eleemosynam vocet sementem, eamque dispensare idem illi sit ac seminare; ut scilicet intelligatur, sua pauperibus distribuere, non esse illa perdere, ut nonnullus videtur; sed potius illa melioribus commutare, ac cumulare, & Dei manibus ad usuram ac fœnus committere, in quibus omne granum in mille millia excrefcit: *Da Altissimo secundum datum ejus: quoniam Dominus retribuens est, & septies tantum reddet tibi.* Datantùm alacriter, ait Ecclesiasticus, tua Deo tuo, qui, cum sit Altissimus, pro se quidem te nullâ indiget; nihilominus omne illud, us sibi datum, accipit, quod datur Pauperibus; da animo hilarî & læto, juxta proportionem illorum, quæ ab eo accepisti. *Da Altissimo secundum datum ejus, & videbis, quâ copiam tibi fructum ferat: rem enim habes cum tali Domino, qui humanitate vinci se non patitur, & hoc ipso incomparabiliter plura reddet, quam dederis: Septies tantum reddet tibi.* Ita solet Cælum cum Terrâ agere: inutilis aliquot vapores extrahit, quos postmodum in tam copiosum rorem convertit, ut omne genus plantarum inde lactetur. Verum quidem est, fœnus hoc Eleemosynæ non ita semper sensibiliter oculis nostris subjici; cum Deus varios habeat modos, quibus dona sua communicet, quin intelligat

Eccli. 35.
10.

aut notet is, qui ea recipit. Ut cum in præmium erogata à vobis eleemosynæ sanos vos ac incolumes longo tempore conservat; cum litem vobis aut adjudicat, aut, ne aliquam moveant adversarij, impedit; cum nubem, quæ stragem horribilem agris vestris minabatur, avertit, uniusque anni redditus servat; cum insidias, quæ vobis struebantur à latronibus nocturnis, detegit & crumenas vestras à depeculato-ribus tuetur; cum præter sanitatem, quam donat, inquietudines, quas amolitur, lucra, quibus rem vestram auget, damna, quæ avertit, innumera alia in præmium vestræ charitatis vobis etiam non advertentibus subministrat: *Dominus retribuens est.* Certò tamen vobis persuadete, oppidò bonum esse cum Domino agere, à quo, quas-cunque fœneratorum officinas requisieritis, nullam magis fructuosam, nullam magis fidem eleemosynâ ^{provi-}nanciscemini: *fœneratur Domino, qui pro-171 miseretur pauperis.*

XVII Sed adhuc in assentiendo difficiles experior, ac persuasos, miraculo opus esse, ut ea, quæ pauperibus elargimini, recipiatis: unde sicut miracula rata sunt, ita creditis lucrum vestrum, quod ex eleemosynâ colligitis, rarum, quin omnino rarissimum esse. Verùm toto cælo aberratis: incrementum enim illud, quo Eleemosynariorum res augentur, non ad miraculosam Dei Providentiam revocatur, sed ad ordinariam spectat, ita ut miraculo magis affine sit, si hujusmodi prosperitas de lege ordinariâ non consequatur. Rationem audite, Omnis alia

alia virtus (etiam ipsa Eleemosyna spiritalis, quæ tota in alterius bonum tendit) hoc sibi proprium habet, ut frequenti sui exercitio non solum iacturam non subeat, sed accrescat; siquidem actus primus majorem ad secundam aptitudinem conciliat, qua proximo suo consulat, eundem corrigat, aut confirmet, ei errata sua condonet, illatas ab eo molestias toleret, pro eo ad Deum supplex accedat eoque habilior ad huiusmodi charitatis officia reddatur, quo frequentius in egregiis his actionibus exercitatur. Unde fit, ut talis Eleemosynarius puteo tandem similis efficiatur, qui, quò plus inde hauritur, eò plus abundat ac dare potest. Eleemosyna verò corporalis non ita se habet. Hæc sui exercitatione magis semper ac magis debilitatur, cum naturâ suâ bona illa deficient, quæ porro egeni distribui possint, scilicet quo operiantur, alantur, aut aliis favoribus sublevantur. Quare virtus ista cæternam æmulatur, ita ut si actus suos continuare velit, Deoque rem gratam præstare, oporteat ut vicissim Deus opportunè denuo affundat tantò plus aquæ recentis, quanto copiosius illa dispensatur, præsertim si magnâ illam copiâ, ut decet, velit effundi: *si multum tibi fuerit, abundanter tribue*. Et quia Virtutum actiones tunc perfectionem suam assequuntur, quando magnâ cum alacritate & promptitudine exeruntur, necessarium est, ut Deus in antecessum auctoritatem suam, quasi oppignoret Eleemosynam erogantibus, ac promittat, tantò eos plura recepturos, quò plura

fuerint elargiti: *Cum effuderis esurienti animam tuam &c. erit sicut fons aquarum, cujus non deficiet aqua*: Ut hi, qui fundo sine fundo, qualis est Divina Promissio, confidunt, apertissimis possint manibus redditus suos inter egenter distribuere, quoniam unquam timeant, ne, quod dispensent, deficiat. Neque tamen hæc multiplicatio præmium quoddam est, quo Deus Eleemosynam quasi mercede velit exsolvere (non enim præmio ad eam exili eam remunerari intendit) sed subsidium tantum, quod, ne qui erogant, unquam exhauriantur, suppeditat; sine quo hæc virtus aut non perduraret, aut sensim elanquesceret, torrentis instar, qui cum scaturiginem perennem non habeat, non potest instar fluminis pleno semper alveo campos irrigare.

XVIII. Ex his pronum est inferre, quantum illi decipiantur, qui eam ob causam Pauperibus beneficos se non præstant, quòd timeant, ne facultates suas imminuant, & filiis hæreditatem succidant. Imò verò modus hic longè optimus est, quo filiis provideatur, & facultates stabiliantur, si in pauperes profundantur. Et quidem, quòd filios attingit, manifesta, Dei promissa, quæ irrita esse non possunt, fidem faciunt. *Viri misericordia, quorum pietates non defuerunt, cum semine eorum* 44. 18. *permanent bona*. Arcanum hoc est, quo bona, quæ filiis destinantur, augetur, misericordiam scilicet pauperibus exhibere. Famossissima illa inter Legistas distinctio, quam inter bona mobilia & immobilia faciunt, deridiculo haberi posset, cum res omni-

Tob. 4. 8.

Isaia 58.

10.

omnino omnes, quæ sub Sole sunt, mobiles ac fluxæ sint: siquidem etiam possessiones de familiâ in familiam, quasi in orbitam migrant, non minùs ferè, quàm vestes, picturæ, & quæ sunt alia ejusmodi. Unde verissimus, & solus modus est, bona isthæc stabilendi, si pro fundamento Eleemosyna

Serm. de statuatur. Intuto hereditas ponitur, Oper. & qua Deo Custode servatur, ait S. Cyprianus & hoc est charis pignoribus in posterum providere, hoc est, futuris hereditibus paterna pietate consulere.

Eleem. Quod attinet opes & facultates præsententes pro us, qui prole carent, idem dici potest. Unde Mercator quidam locupletissimus à Rege suo olim interrogatus, sincerè ediceret, quantum

Salmer. in Evan. tom. 5. tr. 6. possideret facultatum, respondit: non plus mille coronatis. Videns autem Regem dicto commotum, ne illiusse videretur, repetiit; non plus mille coronatis, siquidem Deo in suis pauperibus non plus reddidi, & de his mille certus sum; cæteræ facultates meæ tot ac tantis periculis subjectæ sunt, ut illas vix habeam pro meis. Nisi quòd nemo non vider, opes etiam reliquas eidem ab eo fœnorè exponi potuisse.

Prov. 18. 27. *Qui dat pauperi, non indigebit, ait Spiritus Sanctus, Ne timeatis, unquam fore, ut homo misericors ac beneficus in pauperes, ad incitas redigatur; etenim quo liberaliorem se indigentibus demonstraverit, eò vicissim Deum, qui humanitate vinci se non patitur, in refundendis identidem novis opibus liberaliorem experietur. Atque idcirco cum vos creditores urgent, cum Litibus infestamini, cum*

insidiantur fures, cum annui redditus deficiunt, hoc unum remedium arripite, & ne porro dubitate. Scio fore vestrum nonnullos, qui consilium hoc, si non ineptum ac stultum, saltem ut simplex condemnent, Consultorem autem reprehendant. At quòd meliùs hi audaculi facerent, si ignorantiam suam confiterentur! Contingit, juvenem sanguinis ejectione, quæ listi non valeat, multum affligi. Medicus opportunè accitus venam incidi jubet. At verò, qui fiet, inquietis, ut sanguis, qui è venis profluit, alterius fluxum listat? Omnino ita est, eliciendus est è venâ sanguis. Quod si miramini, id inde provenit, quod artis Medicæ peritiam non habeatis. Jam ad propositum nostrum ita ferme Deum nos alloqui credamus: Vos, ait, magnis aures meas plañctibus repletis, & ingentem malorum, quæ vos circumdant, catalogum enumeratis; scilicet tempora esse iniquissima; lucrea & quantum succidi, census imminui, mercatum deficere, Salaria restringi, & sic impares vos esse, qui alienæ domus paupertatem sublevertis, cum etiam, quo familiæ vestræ provideatis, plurimum desit. O homines miseros! quibus non dicam prudentia, sed nec Fides constar. Eleemosynas erogate, quibus ex angustiis hisce vestris exitum pandatis: *date & dabitur vobis: Sanguinem alterum mittite, & illum, qui copiosè promanat, retinebitis. Vestrum utiliter sparigite eâ parte, quâ non effluit, & eâ parte, quâ se effundit nullo vestro comodo listeris.*

XIX. In vitis Patrum refertur; hominem

minam fuisse pauperem, qui, quidquid ex horto, quem multo labore colebat, peculii collegisset, magnâ cum charitate inter pauperes distribuit. Die quadam, instigante haud dubitè Caecodemone, coepit intra se dicere: Si omnia, dum Juvenis sum, erogavero, quid me lene fiet? tantumque effectit invidiosa hæc cogitatio, ut hortulanus intermissâ omni eleemosynâ sollicitè omnia sua lucra colligeret, & custodiâ bene firmatâ custodiret. Cùm subito plaga se aperuit in coxendice, luculenta, & tetra, cujus curandæ gratiam primis coactus est à colendo horto suo desistere, subinde etiam omnium suum peculium in chirurgos expendere. Et primùm quidem non modicâ lætitiâ miser homo perfructus est, quòd ex suâ parsimoniâ res collegisset, quo debet expungeret; sibi que gratulatus est prudentiam, quâ quasi futuri præfagus nummos comparasset. Post satis longam tamen chirurgi operam audire debuit, non aliam, si porro vellet vivere, rationem proferendæ vitæ superesse, quàm pedis ægri truncationem. Cohorruit ad tunc estum nantium miser hortulanus, & licet vitæ amore in sui mutilationem consentiret, totâ tamen illâ nocte, quæ feralem cultum præcedebat, amarissimis frenum lacrymis permisit. Estne possibile, ajebat, ut Eleemosyna, quæ familiarum omnium fulcrum est, mihi univiam faciat ad exitium? quæ fons gratiarum aliis fecaturit, mihi puteus sit amaritudinis & miseræ? atque hoc inter planctus & ejulatus noctem exigebat planè desperabundus. Cùm ecce!

B. P. Segneri Christ. Instr. Tom. I.

subitò lucem animadvertit, & in luce DEI Angelum, qui serio & severo in eum vultu oculos defigens, ubi sunt, inquiebat, tuæ illæ pecuniæ, in quibus fiduciam reponebas, ut earum gratia Eleemosynam, DEO acceptissimam, interrumperes? perinde ac si non ista nummos tibi, cùmque numis sanitatem suppeditaverit? reductâ postmodum in frontem serenitate, eja, subjunxit, pedem exhibe, plagam ostende. Cùm que æger pedem protulisset, Angelus uno eum contactu ita perfanavit, ut cùm die subsequente chirurgus adveniret, pedem mutilaturus, hominem horti laboribus distentum, & palliâ terram evertentem repererit, eo corporis vigore, ac si nunquam decubavisset. Videtis, quàm verum sit, quòd dicebam, eleemosynam ingens arcanum esse iis, qui bene illâ uti nōrunt. Eleemosyna, ait S. Chrylóstomus, *ars est omnium quastuosissima; ad populū* non enim ad conquirendum tantum, sed ad conservandum etiam bona conquisita valet, illo scilicet largiente Domino, qui benedictionem in eas familias inducit, quæ miseratione pauperum tanguntur. Hæc Dei benedictio sola divites facit juxta illud; *Benedictio Domini divites facit; non industria; non astutia; non tenacitas; sola Dei benedictio, quam ex alto misericordiam bonis impertit, locupletat eos; qui beneficentiâ in egenos eum honorant.*

XX. Mira omnino differentia Matres inter Ægyptias & Hebræas intercedebat. Ægyptiæ prolem unam singulis partibus effundebant; una dein

H h

nocte

nocte meliorem omnium jacturam faciebant, primogenitis omnibus subito interfectis. Hebrææ quandoque geminas enitebantur, ternas etiam ac quaternas, fecunditate profus mirabili; & hæc tam numerosa soboles in annos plurimos vitam protrahere, ita ut sola familia Patriarchæ Jacob intra annos non plus trecentos sexcentis millenas animas absque feminis & parvulis numeraret. Unde tanta differentia? nisi quod feminae Hebrææ, non item Ægyptiæ, ex Populo à Deo benedicto originem haberent.

Prov. II. 24. Eadem profus differentia Misericordes inter & Avaros reperitur. *Alij dividunt propria & ditiores fiunt: alij rapiunt non sua, & semper in egestate*

Eccli. I. 24. *sunt.* Ratio est, quia illi, non item hi, à Deo benedicuntur: *Benedictio Dei in mercedem justis festinat.* Veniam igitur demus Aristoteli, ratio, non fieri facile, ut, qui liberalis est, dicescat: locutus est ut Infidelis & Ethnicus.

At non eandem veniam merebitur Christianus, qui post amplissimas Dei promissiones nihilominus tamen dubius hæret, an isthæc in pauperes liberalitas ad opes colligendas adjumento sit. Quin omnes experimentum sumant, & videant, an non cum Ecclesiastico in fine possint dicere:

Eccli. 33. 17. *In benedictione Dei & ipse speravi; & quasi qui vindemiat, replevi torcular.*

XXI. Messis isthæc ac Collectio prima est, scilicet temporalis. Ætiamabilior, atque etiam securior est altera in bonum Animæ. *Multiplicabit semen vestrum,* ait Apostolus: *en primam: & auget incrementa frugum*

Justitia vestra: ecce secundam. Et quandoquidem id, quod superest, summi est momenti, hac ratione majoris claritatis gratiâ ejusdem tractationem distinguamus. Vel istiusmodi homo in egenos benignus ac liberalis in presentatum peccator est, an aliquando fuit? Supponamus esse peccatorem. Quis modus melior, perditam recuperandi justitiam, quam

Eccli. 33. 1. *Eleemosynæ erogatio? Ignem ardentem exinguit aqua, & Eleemosynæ resistit peccatis.* Melior profectò modus, quo ignis coërceatur, non est, quam aquam magnâ copiâ affundere. Quod aquæ in incendio, Eleemosyna est in peccato. Non equidem omnino tollit id, quod Gratiæ munus est, sed eadem relinquit; ne ulterius serpat, obtineat ac evincit; ac peccatorem etiam disponit ut gratiam consequatur, quâ deinde omnis vitiorum scæcilla penitus obruatur ac exinguatur.

Hæc fortunatissima Opulentiorum fors est, si eam nôsse vellent, quod nummis suis Dei Gratiam sibi comparare possint, non solum absque gravissimo illo Simonis peccato, sed summâ etiam cum laude ac commendatione. *Date & accipite,* ait S. Chrysostomus: *date eleemosynam egenis, & à Deo gratiam accipietis, & ex filiis iræ in filios dilectionis adoptabimini.* Atque hoc sensu intelligendum est, quod Senior Tobias dicebat: *Eleemosyna ab omni peccato liberat:* non quidem, quod illa omnia subito peccata extinguat, olei instar, quo bruchi semel immersi suffocantur; sed eatenus liberat, quatenus Deum mover, ut nobiscum

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

Eccli. 33. 1. *agat*

agat misericorditer, corque nostrum disponat, ut eandem in se misericordiam recipiat, ac cum Deo cooperetur, qui Gratiâ subministrat, quâ auxiliante hoc illôque crimine nos expedire valeamus. De cætero, si quis pauperibus eâ intentione subveniret, ut impunitatem sibi compararet, quâ in sordibus suis securus vitam ageret diuturniorem, tunc enim verò Eleemosyna nequaquam aquæ usum præstaret ad incendium restinguendum, sed picis instar vimignis promoveret magis, magisque roboraret.

XXII. Quod si autem Justum Deo; charum in præsentiarum pōnimus, cum, qui Eleemosynam largitur, & ante hac solum peccatis fuisse obnoxium, modus longè optimus peccata omnia cōoperiendi est charitas; *Univerſa delicta operit charitas.* Etiam inter homines Magnatum vicia liberalitate conteguntur, aded, ut quos vita pessima in contemptum & oblivionem adduceret, liberalitas tamen & munificentiâ etiam annalibus ac factis inserat memorandos. Quæ causa fuit, quare Philippus Rex Macedonum diceret, in suâ esse manu, vituperia in laudes convertere, quibus à subditis impeteretur; satis fore, illam largitionibus aperire. Nisi quodd tegumentum istud, quo Viri grandes vicia sua abscondunt, ex quo admodum pretii sit, utpote quod malum quidem obvelet, non tollat. Longè meliori ratione Eleemosyna peccatum operit; non enim ut vestis tantùm operit, sed ut balsamum, quod dum vulnus tegit, etiam persanât,

ut ne circatrice quidem relinquat: negari etenim non potest Eleemosynam tantâ apud Deum virtute polle-
re. ut reatum etiam illarum tollat
pœnarum, quas peccator culpâ jam deletâ pendere cogeretur.

XXIII. Ecce modum longè verissimum; quo animâ iis se debitis exsolvat, quibus aliâ ratione eximi non posset, Eleemosynam. *Redemptio Anima viri, divitiâ suâ: & hoc quidem juxta duplex Redemptionis genus; primum, quo quis à servitute, quam incurrit, liberatur; alterum, quo quis, ne in servitutem incidat, præservatur.* Est Eleemosyna Redemptio à servitute primo modo accepta, dum hominem debitis illis absolvit, quæ culpis à se commissis apud Divinæ tribunal justitiæ contraxit, juxta illud Danielis, quo sceleratum Babyionis Regem commouit: *Pec- cata tua Eleemosynis redime: & juxta mentem ac communem Doctorum sententiam, qui cum de Eleemosynâ discutunt, veriti non sunt Eleemosynam cum Baptismo conferre (usque adeo magna illius efficacia est, quâ debita hucusque contracta expungit) imò eidem etiam præhabere ex aliquâ salutem parte; nam Baptismus, ut sit balneum, quo omnes animæ sordes & maculæ absterguntur, non nisi unâ tamen vice illud ingredi conceditur; cum contra Eleemosyna millies iterum ac millies repeti possit, lavacrum utique tantò salubrius ac commodius tali capti, quod sæpius ac frequentius contingit infici ac conspurcari. Ex alterâ parte Eleemosyna redemptio à*

H h 2

servi-

Prov.
10, 22.S. Thom.
2. 2. q.
32. ar. 4.
ad 2.Tob. 4.
11.
Franc.
Padi. de
Animal.
viventi.
pag. 104.Ambra
serm. 324Leo. serm.
2. de
collet.
Cypriana
de Eleem.

servitute est, quæ hominem præservat, cum Justum retinet, ne in illa de novo peccata relabatur, quæ ei tantò post pretio essent constituta: ferè ad eum modum, quem paulo superius ex Ecclesiastico annotavimus, cum diximus, quòd Eleemosyna resistit peccatis. Quæ si peccatis resistit in peccatore adhuc dum peccatis obstricto, quid non efficiet in animâ ad DEUM jam conversâ? In Peccatore peccatorum vinculis etiam num ligato resistit, dum illam actuum multiplicationem inhibet, quæ cæteroquin esset consecutura (sunt enim peccata flammis similia, quæ magis ac magis exardescunt, usque dum tota in cineres sylva subsidat) & ita viam facit ad conversionem: *Pœnitentibus dedit viam justitiæ;* in Converso autem dicunt resistere, cum robur meretur, quòd mali habitus, qui remissis etiam culpis persistunt, extinguantur, ne residuis quibuscunque scintillis incendium portò resuscitetur; & sic perseverantiam finalem operatur: *Dispersit, dedit pauperibus: justitiæ ejus manet in saculum sæculi,* Uno verbo: tantæ Eleemosyna est efficaciz ad acceptam Dei Gratiã portò conservandam, ut illam ceu oculi pupillam custodiat: *Gratiã hominis Eleemosyna quasi pupillam conservabit.* Tamque est efficax ad eam reparandam, ut cum eam propriã virtute restaurare non potest, posse tamen videatur: *Date Eleemosynam, & ecce* Luc. 11. *omnia munda sunt vobis.*

XXIV. Verum quidem est, tot ac tantis bonis eos magnam partem privari, qui Eleemosynarum largitio-

nem in ultimum vitæ tempus differunt, In primis enim ne tam quidem, quod proposuerant, præstent, vel quia consanguineorum operã à proposito distrahuntur, vel quia morbi vi oppressi ipsimet obliviscuntur; vel quia crescente in iis divitiarum inordinato amore, & multò magis etiam filiorum, induci nequaquam possunt, ut Christum in ejus hæreditatis partem admittant, quam nunquam satis pinguem arbitranur. Si quæ nutritrix lac diu nimis infanti subtrahit, ita demum lacteus ille humor in mamillis coagulatur, ut nec sugendo, nec comprimendo eliciatur: Ad ipsum planè infelicissimis his Evulsionibus obtingit; dum enim avaritiã impellente tenaciùs retinent facultates, vitæ tempore congregatas, non tantùm sponte ad sublevandam, ac quasi lactandam pauperum inopiam nihil profundunt, sed ne adhibitã quidem vi sibi quidpiam extorqueri patiantur: id quod fit, cum mercenarii, aliæque suam expetunt mercedem diurnam, nec possunt impetrare.

XXV. Sed demus, hoc non sequi; concedamus, quòd ad ultimam vitæ lineam devoluti eleemosynas etiam lægæ testamento transferant. Quænam tamen hæc est liberalitas? donare Deo, quod retineri non potest? quanto fuisset animæ conducibilis, hoc ipsum, & minus etiam, dudum distribuisset, & in alcerius vitæ semitam quasi facem præmisisset potius, quàm subsequi jussisset? Quot peccata fuissent impedita? quot preces obtenta? quanto Divinæ Justitiæ major satis.

Ecli.
17. 20.

Psalms
11. 9.

Ecli.
17. 18.

Luc. 11.
41.

si cui ff. de Verb. sig. nisi.
 satisfactio per soluta, à misericordiâ, Gratiâ impetratâ? *Atinus solvit, qui tardius solvit; nam tempore minus solvitur;* ajunt Leges, Pronuntiate modo, an reddat, quantum debet, qui tam serò solvit, ut seriùs non possit.

XX. Præterquam quòd hæc ultimæ voluntates sæpius malâ fide executioni mandentur, & verè pauperum exigua ratio habeatur, aliique minùs egenes summè indigis præferantur. Apibus admodum infauftum accidit, si tempestas verna tardius solito initium sumat: minus enim laborant, & alimenti minus colligunt. Simile quid evenit pauperibus, qui à divitibus primum speratâ ope defraudantur, & non nisi in testamenti tabulis commendantur; deinde verò etiam à Testamenti executoribus, qui Legata aut non ex toto, aut inviti reddunt. Unde merito Sapiens: *Ante mortem benefac amico tuo, & secundum vires tuas exporrigeni da pauperi: Eleemofyna enim in vivis erogata & salutifera magis, & securior est; salutifera quidem eroganti, securâ verò accipienti.*

XXVI. Hæc ex occasione. Ut ad propositum revertamur, quis vester sensus est circa geminam illam messem, quam verè Eleemofynarii è manibus pauperum colligunt, tam in vitæ temporalis, quàm æternæ subsidium? *Promissionem vitæ quæ nunc est, & futura.* An esse uberem satis ac copiosam negabitis? Magnus quidam Eleemofynarius mercatores in granarium suum inducens, quantum vultis mihi dare, inquit, pro ingenti

hoc frumenti acervo? reponebant hi: Coronatos tot & tot centenos; quot scilicet propositæ rei pretium exigere videbatur. Cùm ille: novi ego, qui absque comparatione plures multò mihi numerabit. Vos etenim, si frumentum vendidero, paulò plus, quàm ego ipse expenderim, dabitis; at ubi Christo in suis pauperibus distribuero, reditus ille meos identidem geminabit, & ipsum denique Cælum, in amplissimum lucri cumulum addet. Quo dicto mercatores animo compunctos dimisit, frumentum autem magnâ alacritate in pauperes, emptores haud dubiè certissimæ solutionis, dispersit. O negotiationem lucrosissimam! tam modicum expendere, & tam multum vicissim recipere!

XXVIII. Et tamen quotus quisque Christianorum est, qui negotiationem hanc lucri feracissimam non recuset, quasi cautum ei non foret satis; qui facultates suas Dei manibus plene committit? an scenerator Deus, aut fraude non vult, aut iniquâ sorte jacturam opum passus, non potest, promissum in Evangelio centuplum reddere? Certè si ulli, stultorum nomine hi appellari debent, non minùs ac ille à Christo Domino titulum eundem retulit, de quo S. Lucas: *Stulte, hac nocte animam tuam* Luc. 12
repetunt à te; quæ autem parâsti, 10.
cujus erunt? Verissima omnino hæc stultitia est, quæ impedit, quo minùs de rebus judicemus secundum altissimam earum causam DEUM, & sapientiæ dono adversatur: advertite

Ecdi
 14 13

*Luc. 12
 10.
 Cajet.
 2. 2. q.
 46. n. 1.*

proin, an non illa sit, propria Divitis
 sordidi, & in egenos parci. Hic
 opes & divitias ob illa tantum com-
 moda æstimat, quæ terrena & caduca
 sunt; non propter illa perpetua, quæ
 in Cælo apta sunt parere. *Eleemosy-
 na, ô verba aurea! Eleemosyna non pa-
 nitur animam ire ad tenebras.* Et re-
 vera ita se res habet. Tam admiranda
 Dei fuit Bonitas, ut voluerit divitias,
 quæ naturâ suâ malorum omnium
 sunt incentivum, & se possidentibus
 materia perditionis; instrumentum
 evadant, quo, qui vult, salutem suam
 operetur, & aptissimum medium Præ-
 destinationis etiam altissimæ, id quod
 in Centurione Cæsarensi, de quo in
 Actis Apostolorum cum laude fit
 mentio, satis manifestè ac luculenter
 comprobatur.

XXIX. Neque tamen credatis vel-
 lim, divitias solis divitibus medium
 prædestinationis à Divinâ Bonitate
 datas esse, qui eas largâ manu distri-
 buunt. Non ita, sed ipsis etiam Pau-
 peribus, quibus distribuuntur, in me-
 dium vult cedere ejusdem prædesti-
 nationis. An id experientiâ non
 constat? Si margaritarum conchæ
 opportuno rore turgent, magnis in-
 crementis auferunt margaritæ, si
 fides est Plinio: *Grandescit partus.*
 Contrâ verò, cum Cælum est turbi-
 dum & tempestatibus miscetur, ipsæ
 etiam margaritæ aut colore turbidæ,
 aut magnitudine exiles reperiantur,
Pro jejuniis modo minuitur. Utinam
 non quotidie hoc eveniret Christia-
 nis! Quod pauperulæ Virgines, si
 necessario non carerent alimento, in-

tactam conservarent, quin & magnis
 auctibus ornarent integritatis suæ
 Margaritam? at quia omni se ope
 destitutas vident, famæque pressas,
 non imminuunt tantum virginæ cas-
 titatis nitorem, sed omnem profligant.
 Animis quæso vestris perpendite,
 quot crimina, quot opprobria,
 quot scandala, quot animarum misere
 pereuntium jacturam una impeditet
 Eleemosyna in tempore suppeditata,
 Dos unica, donum unum, unicum op-
 portunum auxilium? Ad hunc finem
 Deus copiosas diviti facultates con-
 cessit, ut *meritum bonæ dispensationis*
acquireret, ait S. Thomas, ut terrâ cæ-
 lum compararet, non sibi tantum, sed
 & proximo suo, cujus dum corpus lan-
 guidum servat, etiam animam in tuto
 locat. Dives autem stultus, dum ni-
 hil horum perpendit, solum attendit,
 quâ ratione se ipsum saginaret, donec
 tandem fieret victima Divinæ culto
 justitiæ destinata.

XXX. Quanto igitur jure illud
 audire cogitur: *Silie, hæc nocte S. Thom.*
Animam tuam repetunt à te! Hæc
nocte, in crassis istis tuis ignorantia
tenebris, aut veriùs iniquitatis, siqui-
dem ex orta non sunt ex naturalis ju-
dicij defectu, sed ex sponte in his
seulibus subjectas immersione; in his,
inquam, Anima tua à te repetitur:
Animam suam repetunt à se. Quod si
 ab hujusmodi Euclione quamlibet re-
 nitente, Anima repetitur, quanto ma-
 gis facultates repetentur, quas aut ma-
 le expendit, aut non melius servavit?
 Ibi tandem Divites intelligent, quod
 hætenus capere noluerunt, scilicet,
 non

Plin.
 3.9.

non

non esse absolutos rerum suarum dominos, qui possint pro arbitrio de illis disponere, & pro libidine eas expendere, quin rationem aut de depositis, aut de expensis debeant cuiquam reddere. Tunc agnoscent, præceptum de dandâ Eleemosynâ, quod implere recusârunt; videbuntque, quod, sicut Leges humanæ in communi quadam navigatione quemque obligant, ut, quem pane nautico destitutum viderit, illi de suo largiatur, majori longè rigore Divina Lex præcipiat, ut, dum universali quadam navigatione conjuncti, ad communem patriam tendimus, si qua proximum egestas affligat, quisque, cui ultra necessitatem suam de bonis prospectum est, alterius necessitati succurrat.

2. Cor. 8. *In presenti tempore vestra abundantia illorum suppleat inopiam.*

14. Neque ullus sibi persuadeat, solum ne in terris fore superstitem, aut in divitum tan-

17a. 8. tum gratiam Mundum fuisse conditum: *nunquid habitabitis vos soli in medio Terra?* Hæc & hujusmodi à crudelium gente divitum in postremo illo iudicio Deus exquirat, iisque ostendet, quod bona, quæ possidere, sub Mundi hujus primordia omnia fuerunt communia: Unde si eorundem postmodum divisionem ab hominibus factam approbavit, approbavit expressâ hac conditione adjunctâ,

ut divites pauperum curam suscipiant, & illi, qui plus illis accepissent, Montium instar tantò plus caelestium aquarum in valles diffunderent, quod ipsi copiosius fuissent inundati.

XXX. Illud porro, quod infelicitatem tam culpabilis stultitiæ omnium maximè cumulabit, non in solâ abusus sui cognitione finietur, quâ opes sibi superfluas pessimè collocatas intelligent, & insuper agnoscent, se tempus porro non habituros, quo errorem corrigant. *Quæ autem parasti, cujus erunt?* Transeunt bona per alienas manus, quas inter etiam manus filiorum atque filiarum numero, qui parvo à morte intervallo omnem parentum memoriam deponunt, ita ut eorum non magis recordentur, quàm si ab iis generati non fuissent. Transeunt, inquam, bona per alienas manus; anima verò interim sine fructu stultitiam suam mille maledictis incusat. Non ita vos, Dilectissimi! Sancti Augustini potiùs consilium audite, opportunum planè & tempestivum: *Da quod non potes retinere, & accipe, in Psal. quod non potes amittere.* Date DEO 36. libenter id in suis pauperibus, quod à morte defendere non poteritis; & vicissim accipite à Divinâ misericordiâ bonum quoddam infinitum, quod mortis imperio nullâ est ratione subiectum.

DISCUR-